



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Ariditas spiritûs & mœror, quem nonnumquam patiebatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

neque præterire posset, quin litteris ita consignaret: *Die Sabbati, 18. Decembris, misit mihi Dominus fluuum pacis.* vt mirandum non sit, tot Patres Fratresque, qui eum norant, *in odorem diuinorum aromatum* (quibus ille inter orandum perfundebatur) *cucurisse, lubentissimeque audiuisse tam suauiter narrante, quanto cor eius Dominus cælestis torrente dulcedinis inundaret.*

Sed ille tot diuinitus cumulatus delicijs, *Ariditas spiritus, & mæror.*  
tot à Virgine beatissimâ recreatus voluptatis, subinde, non exiguâ spiritus siccitate aridus, desolatus, omnique mentis consolatione ac luce nudus destituebatur. Non eâ re tamen aut demittebat animum, aut orandi, suive ad virtutem exercendi constantiam remittebat, sed perseverabat infactus, mentemque sacrâ concitabat carminibus, ferventibus Deum interpellans clamoribus: *Redde mihi letitiam salutaris tui. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Et certè recordor aduertisse me saepius, optimum Adolescentem assuefactum continuo diuinorum vberum pastu, lacteque, etiamsi acerbissimum haberet diuturnioris huiusmodi ariditatis desertionisque sensum, (vt summâ eius commiseratione commouerer, quoties suum illum statum dolenter mihi explicabat) in maximis tamen hisce siccitatibus summâ sem-

K 5 per

*Interna  
animi pax.*

per potitum fuisse animi pace , ac tranquillitate , nullo vñquam eius voto dissentiente , cum diuinæ voluntatis nutu . Sic enim dicebat : *In desolationibus magnam sensi quietem animi* . Dei prouidentiâ atque amore ego arbitratus sum euenissem , vt interuallis se Deus illi subduceret , redderetque , ne funditus infirmam debilemque eius constitutionem afiduitate corrumperet . Si ad exeundum ambulandumve inuitaretur nondum perfectâ meditatione , recusabat scilicet , cauſatus per plateas non æquè ac domi fluere sibi ex sententiâ orationem .

Hoc illi tempus deliciosissimum erat , quod bis quotannis triduanæ animorum collectioni ante semestrem votorum instauracionem indulgetur , quodque solemniorum vacationum Autumnalibus ferijs , ad facienda spiritualia exercitia ab omnibus applicatur : dicereque consueuerat , per illos se dies locupletare loculos suos , ad emendum pañem refectionis spiritualis , in venturas forte necessitates .

*Vota ſep̄e  
inſtaurat.*

Bis quotidie , semel manè , iterum vesperi , (quoties item ad sacram Synaxim ibat) mos illi , renouare Religionis vota , verbis formulæ solitæ repetitis .

*Religio &  
amor ergo  
SS. Eucha-  
rictia my-  
ſterium.*

Singulari amore iuxta ac reuerentiâ religioneque augustissimum Eucharistiae mysterium